

## Patricii Süskind Fragrantia

### Interpretis præfatio

Liquores volatiles et fragrantes, qui dicuntur Francogallice parfums, in hac versione Latina appellantur verbo Græco myra (myron,-i n., a gr. 'to myron', neogræce 'myrōdiko', 'myrōdia'). In litteris Romanis latius patet verbum Latinum unguentum (quod dicitur ab unguendo, cfr unguentarius, taberna unguentaria). Unguenta erant substantiae fragrantes aut ceræ aut adipi aut oleo similes, quibus cutis corporis unguebatur decoris aut valetudinis causa. Sed nomen modernum, quod est "parfums", non spectat ad substantias adipi similes (fr. "onguent" aut "crème", cfr lat. ceroma,-atis n.), i.e. solidas, sed ad liquores subtile et volatiles, qui facillime guttis minutissimis possunt per aera dispergi. Tales liquores nova demum ætate inventi esse videntur, quod fieri potuit adhibito alcohole, i.e. spiritu vini subtilissimo (verbum "parfum" dicitur a verbo Italiano "perfumare", cfr "perfumo" vel recentius "profumo").

Inventor et cultor huius methodi odoramenta solvendi et dispergendi dicitur fuisse Mauricius Frangipani, Dædalus fragrantiarum Italianus, cuius nomen in fabula sæpius celebratur. Ad notionem denominandam hic adhibeo verbum Græcum 'to myron', præsertim cum sermo Græcus ætate antiqua (sicut nova ætate sermo Francogallicus) fuerit sermo elegantiarum. Cicero in epistula ad Atticum scripta (1,19,2) affert locutionem Græcam, quæ est 'to epi fakē myron', i.e. ad verbum : unguentum in lente, quod valet rem pretiosam adhibere ad rem vilissimam. Sensu translato 'myron' valebat aliquid lepidum, amabile. Itaque erat etiam blandum nomen amantium. Ceterum hoc verbum antiquum vel potius forma ab eodem derivata adhuc adhibetur in lingua neogræca ('myrōdiko', 'myrōdia'), ubi reapse valet i.q. fr. "parfum".

Nos autem secundum formas palæogræcas appellamus eum, qui talia odoramenta vendit, myropolam (myropola,-æ m., gr. 'ho myropôlēs'), et eum, qui talia fabricat, myropœum (myropœus,-i m., a gr. 'ho myropoios'). Adiectivum ad talem hominem pertinens sit myopoeticus,-a,-um (originaliter "parfümistisch", cfr onomatopoeticus, 'onomatopoiêtikos').

Fabula autem, quam Latina veste indutam lectoribus proponam, non solum spectat ad scelera immania et inaudita, sed etiam ad mores et cultum civilem hominum necnon abundat rebus mirabilibus artificiose atque iocose enarratis, quæ fiunt in stupendo regno odorum, i.e. fætorum et fragrantiarum. Agitur enim de Iohanne Baptista Grenulio (originaliter : Jean-Baptiste Grenouille), Francogallo myropœo ingenioso et monstruoso sæculi octavi decimi, qui duabus qualitatibus funditus differt a ceteris hominibus : ipse non olet, sed omnia olficit, animal expers odoris, sed instructum sensu olfaciendi subtilissimo, ut ita dicamus, absolu. Grenulius primo secundam tantum qualitatem suam animadvertisit et discit vitam præcipue considerare et comprehendere facultate sua olfactoria, cuius effectu odoratio odorumque fabricatio mox fit unica eius cupiditas (eius non interest cum hominibus conversari nisi ut eorum odores sibi comparet). Hac cupiditate inductus ætate quindecim annorum quadam nocte in tribu Parisina primum homicidium committit ; nam fragrantia alicuius puellæ tam vehementer attrahitur, ut eiusdem substantiam solidam et materialem possidere ardentissime cupiat, ne fragrantia sibi sit res fugax et volatilis, qua per momenta tantum temporis frui liceat, sed ut sit 'ktema eis aei'. Etiam annis post huius fragantiæ compositionem exactissime recordatur.

Grenulius primo fit tiro coriarii, deinde myropœi Parisini. Tirocinio finito proficiscitur ad oppidum Grassam (originaliter : Grasse), urbem Francogallicam myropoeseos causa

illustriſſimam. Quod iter fit per ſeptem annos, quibus Grenulius cognovit ſe ipsum eſſe ab omni odore vacuum. Quæ cognitio ei eſt fatalis. Grassæ autem diversiſſimos odores hominum fabricat : Grenulius hiſ odoribus abditus, quos pro neceſſitate mutabat tamquam vefteſ, et quibus omnibus utebatur, ne in mundo hominum moleſtaretur neve natura ſua cognoſceretur, nunc ſe dedit cupiditati ſuæ veræ et proprieſ : fragrantiiſ ſubtiliter venandis. Hac veſatione Grenulius fit interfeſtor viſīti quinque mulierum Grassæ pulcherriſarum et lepidiſſimarum. Sicut apud myropœos didicit, earum fragrantias conſervat, ut poſſideat. Denique ei deprehenſo et ſcelerum convicto et capitiſ damnato contingit, ut homines ſupplicio ad futuros vi myri ſui mirabili redigat in quandam ecſtaſin ingentem, qua ipſe liberetur. Nunc ſcīt, quam potentis ſit facultate ſua myropoētia: Poſteſtas, quæ maiori erat quam poſteſtas pecuniae aut poſteſtas terroris aut poſteſtas mortis : poſteſtas in exſuperabilis, qua homines imbuuntur amore. Unum tantum hac poſteſtate effici non poṭuit : ut olfaceret ſe ipsum. Et... ſi ſe ipsum olfacerere non poṭuit ideoque nemo ſcīvit, quiſ eſſet, non flocci fecit eam poſteſtatem, mundum, ſe ipsum, myron ſuum. Revertit in locum ſuum naſalem, Cœmeterium Innocentium Parisinum ; ibi autem...

Hæc fabula a. 1985 edita a criticis litteraturæ eximie laudata eſt propter ſplendidam elocutionem, ingeniosam morum et cogitationum descriptionem, vividissimam actionis enarrationem. Ipſe Marcel Reich-Ranicki, criticus in Germania notissimus, qui ab auctoribus vehementer timetur propter iudicia ſua acerrima, ſibi non temperavit, quin auctorem laudaret : " En tandem iuvenem auctorem Germanum, qui ſcīt ſcribere fabulas, quæ habent exſpectationem. " Sed Patricius (Patrick) Süßkind (qui natus eſt a. 1949) etiam extra fines Germaniæ in claritudinem pervenit : iþis Coreanis a Germania remotiſſimis eius libri ſunt gratiſſimi. Fabulæ autem, quam hic tractamus, iam duæ exſtant versiones Coreanæ : Una appellatur " Hyangsu " (i.e. " Myron "), altera " Hyanggi " (i.e. " Fragrantia "). Quibus acceptis non poṭui, quin quam studiosiſſime incumberem huic operi mirabili in Europæ sermonem patrium convertendo.

En, candide lector, habes huius fabulæ laureatæ translationem Latinam. Num mihi contigit, ut ſplendorem atque ſubtilitatem elocutionis Patricii Süßkind fideliter redderem ? De hac re tibi iudicandumſt : nam ne quiſ ſit iudex in propria cauſa.

Seulo (Seoul), e Coreanorum australium urbe principe

m.Ian. a.MMIV

Nikolaus Gross